



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 117. Facultas Theologica Parisiensis a Rege objurgata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

**Sæcul. XVI****A. C. 1587.**

fusa, ac turbata est, ut ferme omnes calamitatum, quæ a foederatis Aulæ impendebant, immemores esse vide-rentur: quinimo ipse met Rex unacum Joyosa Duce hunc Comitem adiit, nul-lumque non movit lapidem, ut illum ad mutandum vitæ genus pertraheret, eumque rursus ad Aulam perducere posset: attamen Pater Angelus flecti nescius ab instituto, quod amplexus est, nullo pacto absterreri poterat, sed usque ad annum Christi millesimum quingentesimum nonagesimum secun-dum, seu per quinque annos constans in sacro hoc Ordine perseveravit, dum anno Domini millesimo quingentesi-mo octogesimo septimo die quarta Se-ptembris Patribus Capuccinis sese asso-ciaverat.

### §. CXVII.

*Facultas Theologica Parisiensis Regi objurgata.*

**Journal. l.c.** Ex hoc Bucagii Comitis secessu non  
**t. i. p. 95.** modo Henricus II. Franciæ Rex  
**Maimb. l.c.** plurimum turbabatur, sed inde etiam  
**pag. 212.** longe magis funestum rerum suarum augurium cepit, foederatorum seditione Parisiis indies aucta; hi enim eo temeritatis devenerant, ut die trigesima Decembris hoc anno Regem compelle-rent, quatenus ad Luparæ Palatium Sena-

Senatum, necnon Facultatem Theo-  
logicam convocaret, ubi præsentibus  
Confiliariis suis hæc Doctoribus crimini  
dabat, atque eos primitus accusabat,  
quod adversus eum declamandi liberta-  
tem sibi arrogarent. II. Illos redarguebat,  
quod omnes illius actiones publice re-  
prehendere auderent. III. Iisdem ex-  
probrabat, quod Regni negotiis sesé  
ingerere præsumerent: postea sermone  
ad Bucherium sancti Benedicti Paro-  
chum converso eundem Virum impro-  
bum appellans hæc subjunxit: „nequi-  
tia superas Patruum tuum Aulæ Con-  
„filiarium, qui tot factis malignum  
„suum animum comprobabat: equidem  
„Socii tui æqualis sunt malitiæ, te vero  
„speciatim objurgo, eoquod præ cete-  
„ris ad populum dicere non erubueris,  
„quod ego Aurelianensis Ecclesiæ Theo-  
„logum in puteum projici jussi, et  
„cum tamen hic adhuc vita superstes  
„sit, quamvis vosmetipſi inficiari haud  
„possitis, quod tu, tuique Socii ob ma-  
„nifesta crimina damnati fueritis, &  
„quidem dupli ex cauſſa, quarum  
„prima est, quod in Cathedra verita-  
„tis de legitimo, ac proprio Rege ve-  
„stro impia divulgare, pluribusque ca-  
„lumniis ejus honorem proscindere ausi  
„sitis, licet id per ipsas sacras literas  
„prohibeatur: altera condemnationis

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

Hist. Ecclesiast. Tom. L. Hh „cauſſa

**Sæcul. XVI.** „caufsa est, quod sacrum Missæ Sacri-  
A.C. 1587. „ficium celebrare præsumatis, quin  
„prius vos reconciliare studeretis, aut  
„vestras noxas sacra confessione expia-  
„retis, cum tamen singulis diebus po-  
„pulo proponatis, quod is, qui prox-  
„mo suo oblocutus est, ex sacri Evan-  
„gelii præcepto, priusquam munus suum  
„Altari imponit, sese cum fratre suo  
„reconciliet: equidem de vestris inju-  
„riis ultionem sumere non intendo,  
„quamvis ad id vires mihi non deessent,  
„prout non ita pridem Sixtus V. Pontifex  
„laudabiliter fecerat, dum quosdam  
„ex ordine sancti Francisci Religiosos  
„triremium pœna mulctabat, eo quod  
„adversus me maledica sparsissent: hu-  
„manius equidem vos habebo, ea ta-  
„men lege, ut eo deinceps majori  
„moderatione utamini: fecus enim vos  
„Senatus mei judicio committam, a  
„quo certe tantam severitatem experie-  
„mini, ut etiam seditionissimi quique  
„suppliciorum gravitate territi in officio  
„contineri possint. „ Absoluta hac ob-  
jurgatione Rex Facultatis  
Doctores dimisit.



HISTO-